



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Malvm Svmmi Mali Sive De infinita grauitate peccati  
mortalis Libri Qvinq[ve]**

**Pelecycus, Johannes**

**Monachii, 1615**

III. Peccator ideo Deu[m] offendit, quia ab eo se auertit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52025)

dilectissimi huius muneris Sacramen-  
tum, & omnia dona excedit hoc donū,  
vt Deus hominem vocet filium, &  
homo Deum nominet Patrem &c. Do-  
tatum tandem, prouidentia suā  
regit & gubernat Deus, hoc est,  
per certa & accomodata media,  
cum ad æternā in cœlis felicita-  
tem capessendam effert, statum  
bonorum omnium aggregatio-  
ne perfectum, & commodorum  
omnium sufficientiam. De qua  
Dei magnificentia in hominem, s.  
paruus, vel nullus veri⁹ ego, plu-  
ribus, breuitate mihi in omnibus  
proposita, non agam; hæc ipsa,  
quæ in medium sic protuli, pec-  
cati mortalis summam peruersi-  
tatem, & execrandam impieta-  
tem, ad horrorē, ad abominatio-  
nem, ad fugam ostendunt.

CAPVT III.

Peccator ideo Deum offendit, quia ab  
eo se auertit.

B § De

Boet. l. de  
Simil. c. 14.  
Ansel. l. 13.  
de Trin. c.

- Hier.* 2. 7. **D**E iniuria hac queritur ipse-  
met **D E V S**, apud Prophe-  
tam his verbis : *Quid inuenerunt*  
*patres vestri in me iniquitatis, quia*  
*elongauerunt à me, & ambulauere-*  
*runt post vanitatem, & vani facti*  
*sunt? & : Verterunt ad me tergum,*  
*& non faciem.* Id quod in fi-  
gura **D E V S** olim prohibuit a-  
*Ez.* 46. 9. pud Ezechielem, cum præcepit,  
nullus vt ea porta templum e-  
grederetur, quâ ingressus illud  
fuit, ne tergum scilicet propi-  
tatorio obuenteretur, in quo **D e-**  
*Hier.* 2. 27. **u s** erat. Et : *Quid vultis mecum*  
*iudicio contendere? omnes dereliqui-*  
*stis me, dicit Dominus.* Et : *Nun-*  
*quid solitudo factus sum Israeli? aut*  
*terra serotina? quare ergo dixit po-*  
*pulus meus: recessimus, non veni-*  
*emus ultra ad te? Et : Duo mala*  
*fecit populus meus; me dereliquerunt*  
*fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi*  
*cisternas, cisternas dissipatas, quæ con-*  
*tinere*

tinere non valent aquas. Eandem  
 auersionem indicat & illud: Ini-  
 quitates diuiserunt inter vos & De-  
 um vestrum, & peccata vestra ab-  
 sconderunt faciem eius à vobis, ne ex-  
 audiret. D. Aug. Peccata, inquit, *Lib. 1. de*  
 omnia hoc uno genere continentur, *lib. arb. c.*  
 cum quisquis aueritur à diuinis, ve- *16.*  
 reque manentibus, & ad mirabilia  
 & incerta conuertitur. D. Greg. *In 7. ps.*  
 Mag. ei accinit: Hæc mors peccati *par.*  
 est, ait, quæ animam meam à Deo  
 separat. D. Thom. quoque do- *1. 2. q. 87.*  
 cet, in quouis peccato mortali *art. 4.*  
 duo reperiri, auersionem à Deo,  
 & conuersionem ad creaturas,  
 ab incómutabili videlicet bono,  
 ad commutabile, & ab infinito  
 ad finitum. Impunè ne verò pec-  
 cator se à Deo auerit, eumque de-  
 serit? Minime: & Deus se ab illo  
 auerit, eumque deserit, quod  
 quàm malum sit & amarum docet  
 scriptura: bibit enim aquam turbidam *Hier. 2. 19.*

- Gen. 1. 16.* manibusq; & verbis mortem accersit,  
 estimans illam amicam. Iratus o-  
*Num. 12.* lim Aaroni Deus, & Mariæ Soro-  
 19. ri, abiit, nubes quoque recessit, quæ  
 erat super tabernaculum, & ecce Ma-  
 ria apparuit candens lepra quasi nix.  
*Isa. 33. 3.* Non ascendam, ait idē Deus, tecum,  
 quia populus dura cervicis es, ne for-  
 tē disperdam te in via, audiensq; po-  
 pulus sermonem hunc pessimum, luxit,  
 & nullus ex more indutus est cultu  
 suo. Summum certē malum id est  
 & suppliciū, vt indicat his ver-  
*Os. 9. 12* bis Oseas: *va eis cum recessero ab il-*  
 lis. Item Esaias, cū sic scribit:  
*sap. 1. 8.* Derelinquetur filia Sion, vt umbracu-  
 lum in vinea, & sicut tugurium in  
 cucumerario, & sicut ciuitas, quæ  
*Gen. 19. 26.* vastatur. Quia Lothi vxor contra  
 Dei mandatum post tergum re-  
 spexit, in statuam salis conuersa  
 est, vt peccatori foret monumē-  
 tum, ne seriō iudicatoq; viam  
 Domini ingressus, retro vnquā  
 ad

ad peccatum scilicet respiceret,  
alieno malo doctus.

CAPVT IV.

*Peccator propterea Deum offendit, quia  
se ab eo, ut Legislatores est,  
auertit.*

**H**Oc est, quia diuinis legibus  
atque præceptionibus, quæ  
admodum par est, barbaro cõteptu  
non paret, ei; obedire renuit. Id  
quod est crimen læsæ maiestatis  
diuinæ. Ita verò rem se habere  
ostendunt sequentia diuinarum  
litterarum testimonia. *Auerterunt psal. 77. 17*  
*se, ait David, & non seruauerunt*  
*pactum, mandata scilicet diuina.*  
Clarius id à Daniele dicitur: *Pec-* *Dan. 9. 8.*  
*cauimus, inquit, iniquitatem feci-*  
*mus, impiè egimus, & recessimus,*  
*& declinauimus à mandatis tuis ac*  
*iudicijs. Et Zacharias: Noluerunt cap. 7. 11*  
*attendere (ad legem Dei) & aduer-*  
B 7 *serunt*